

XVI

MARIÆ VITA POST MORTEM CHRISTI.

^{1º} A FILIO JOANNI COMMENDATUR, ET IPSI JOANNES.

XVI
617
2

Mulier, ecce filius tuus. (Joan. xix. 26.) — B. Virgo relicita fuit a Christo post se, ut illa apostolorum et fidelium foret mater, eos lapsos colligeret, afflictos solaretur, titubantes solidaret, dubiis et anxiis consuleret, eosque per omnia dirigeret, instrueret, animaret. Unde ipsa statim apostolos a Christo capto diffugientes collegit, Petrum ob negationem Christi pusillanimem spe veniae erexit, omnesque morte Christi turbatos fide resurrectionis Christi mox futuræ confirmavit. Deinde cum principes Judæorum apostolos incarcerearent, flagellarent, occiderent, ipsa omnes hasce persecutioes quasi sibi illatas, vive sentiebat, sed excuso animo superabat et apostolos superare verbo et exemplo docebat.

Hæc omnia prævidens Christus dixit : *Mulier, q. d.* O mater, esto deinceps mulier fortis et generosa, quæ, nati loco, sis basis, petra et columna meæ Ecclesiæ, ut eam robore tuo fulcias et omnes contra eam tentationum procellas tua constantia, concilio, oratione elidas et dissipas, non tantum nunc, sed et omnibus deinceps sæculis, usque ad finem mundi. Quocirca ipsa a fidelibus totaque Ecclesia in litanis vocatur et assidue invocatur : « Consolatrix afflictorum, Refugium peccatorum, Salus infirmorum, Turris davidica, fœderis arca, Auxilium christianorum,

Stella matutina, Janua cœli, Mater admirabilis, Virgo virginum, Regina apostolorum, martyrum, confessorum, et sanctorum omnium. »

Audi S. Bernardum, serm. 4 de Assumpt. : Sileat, ait, misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est qui invocat te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. » Et mox : « Quis ergo misericordia tuæ, o benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eum subvenit universis. Latitudo ejus replebit orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra; sic et sublimitas ejus civitatis supernæ inventit restorationem, et profundum ejus sedentibus in tenebris et in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum repletum, infernus evacuatus est, instauratae ruinæ cœlestis Jerusalem. Ad hunc misericordiæ cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat. »

Idem, hom. 4, super Missus est : « Ex ore tuo (o virgo) pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. »

Idem, serm. 2 in die Pentecost : « Ad illam (B. Virginem) sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respi ciunt et qui in cœlo habitant, et qui in inferno, et qui nos præcesserunt, et nos qui sumus, et qui sequentur, et nati natorum, et qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo ut resarciantur; qui in inferno, ut eripiantur; qui præcesserunt, ut prophetæ fideles inveniantur; qui sequentur, ut glorificantur. Eo beatam te dicent omnes generationes, genitrix Dei, domina mundi, regina

cœli. In te enim angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, et per te, et de te, benigna manus omnipotentis, quidquid creavit, recreavit. »

2º AN APUD DOMINI SEPULCRUM TRIDUO MANSERIT.

XV
641
2

Erat autem ibi Maria Magdalene, et altera Maria, sedens contra sepulcrum. (Mat. xxvii, 61.) — *Altera Maria, scilicet Jacobi et Joseph mater; has enim duas duntaxat nominavit vers. 58.* Videtur ergo quod mater filiorum Zebedæi, scilicet Salome, quam pariter ibidem nominavit, videns Jesum a viris sepeliri, quasi non habens quod ultra Jesu impenderet, moesta domum redierit, aut B. Virginem domum reduxerit, licet Metaphrastes, ad diem 15 augusti, asserat B. Virginem perpetim mansisse apud Christi sepulcrum, usque ad ipsius resurrectionem, quam ipa die tertia futuram, uti Christus prædixerat, certo credebat et sperabat.

3º IDEO NON VENIT AD EUM UNGUENDUM, QUIA SCIEBAT EUM DIE ILLÀ RESURRECTURUM.

XV
645
2

Maria Magdalene et altera Maria. (Mat. xxviii, 1.) — Scilicet uxor Cleophæ, et mater Jacobi. Hæ fuere duces et antesignanæ cœterarum quæ Christum comitari solebant : plures enim alias fuisse patet ex Luc. xxiii, 55 et seq. ubi inter alias nominat Joannem, uxorem Chusæ, procuratoris Herodis, et Marcus addit Salomen. Porro hisce non aderat B. Virgo

Deipara, quia certo sciebat et expectabat Christum eodem die resurrectum : unde sciebat unctionem hanc fore frustraneam.

4º CHRISTUS MARIE ET PRIMO ANTE ALIOS APPARUIT.

Ite, nuntiate fratibus meis ut eant in Galilæam ; ibi me videbunt. (Mat. xxviii, 10.) — In Galilæa familiari-
ter crebro, diu, palam et libere mea visione fruentur,
mecum ore ad os colloquentur et agent. In Judæa non
ita, etsi ibidem etiam quandoque eis appariturus
sim. Nam in Judæa Christus ipso die resurrectionis,
sive paschatis, sexies hoc ordine apparuit.

Primo, apparuit matri suæ Virginie Deiparae, ut
docet S. Ambrosius, lib. *de Virgin.* post principium;
S. Anselmus, lib. vi, *de Excellent. Virginis;* Rupertus
lib. viii, *Divin. Offic.* cap. xxv; S. Bonaventura in
Vita Christi, cap. lxxxviii. Estque hic communis
doctorum et fidelium sensus, quem evincit tum præ-
cedens Virginis dolor de passione et morte sui uni-
geniti, item merita et dignitas tantæ matris; tum
amor et pietas tanti filii erga talem matrem.

Secundo, apparuit Magdalenæ apud sepulcrum,
Marc. xvi, 9, et Joan. xx, 16.

Tertio, apparuit eidem cum cœteris mulieribus
redeuntibus Jerusalem, in via, Matth. xxviii, 9.

Quarto, apparuit Petro, Luc. xxiv, 34.

Quinto, apparuit duobus discipulis euntibus in Em-
maus, ibidem.

Sexto, omnibus, puta decem apostolis; Thomas
enim aberat, Judas vero se suspenderat, ergo ex
duodecim soli restabant decem, Luc. xxiv, 36.

XV
654
1

5º S. JOANNES POST MORTEM CHRISTI
CURAM EJUS GESSION.

XX

500

2

*Ecce filius tuus.... ecce mater tua... et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Alii legunt in suam. (Joan. xix, 27.) — Christus in cruce moriens Joannem, quasi fratrem sibi substituit, assignans eum pro se quasi filium B. Virginis : *Mulier, inquit ecce filius tuus; vicissim Joanni eam quasi matrem : Ecce, inquit, mater tua.* Unde et Joannes quasi filius Virginis curam tota vita egit, ejusque fuit custos, tutor et provisor, ac cum ea Ephesi habitavit, ex cuius continua familiaritate et colloquiis quanta cœlestium arcanorum lumina, quantos charitatis ignes, quanta virtutum omnium documenta et incrementa hausebit, cuiilibet facile est conjicere. Hoc est quod citatis Christi verbis subdit Joannes, *Evang. xix, 27: Et ex illa hora accepit eam discipulus (in sua allii legunt in suam, scilicet matrem), græce εἰς ἀδι, id est in propria, scilicet bona,* inquit S. Ambrosius, *Enchir. ad Virgin.,* non temporalia, quæ jam Christi amore reliquerat, sed spiritualia : *Accipite, inquit, Spiritum sanctum;* neque enim mater Domini nisi ad possessionem gratiæ demigraret, ubi Christus habebat habitaculum ; » et S. Augustinus tract. 119 in Joan. : « Suscipit, ait, eam discipulus in sua, non prædia, quæ nulla propria possidebat, sed officia, quæ propria dispensatione exequenda curabat. » Et S. Cyprianus, in cap. xix *S. Joan.* : « Commendavit, ait, Christus matrem discipulo, ut officium filii in eam servaret. Matrem similiter admonuit, ut parentis in discipulum auctoritatem haberet : amore videlicet atque charitate non minus illos conjungi voluit.*

quam si naturæ maxima propinquitate conjuncti essent; » Et S. Cyprianus, tractatu de *Passione* : « Passus est, ait, æquanimiter, Joseph sibi Joannem in hoc servitio præponi, quem digniorem se judicabat, et ideo maxime, quia magistri electio sic negotium ordinabat. »

In revelationibus S. Brigittæ quas defendit Cardinalis Turrecremata, probanteque non solum eruditæ Theologi, ut Michael Medina, Alphonsus Mendoza, Petrus Canisius, Martinus Delrio, etc., sed et Bonifacius IX et Martinus V, Pontifices, in canonizatione ejusdem, hæc de S. Joanne habentur : S. Joannes apparuit S. Brigittæ monensque eam contemnere omnia mundi bona, eaque respectu æternorum non pluris facere quam siliquas porcorum, ac sequi viam crucifixi Dei, quæ in principio est areta, sed in fine gaudiosa : « Ego, inquit, sum ille qui scripturam auream plenius agnovi, et agnoscendo augmentavi. Ego fui nudatus ignominiose, sed quia patienter sustinui, Deus vestivit animam meam veste immortali. Ego etiam fui intinctus oleo ; ideo nunc gaudeo oleo lætitiae sempiternæ. Ego insuper post Matrem Dei lenissima morte de mundo transivi, quia custos Matris Dei factus fui, et corpus meum est in loco quietissimo et securissimo. »

Ita, refert S. Brigitta, lib. IV *Revelat.*, cap. 1; et cap. XXIII, narrat se audisse B. Virginem dicentem S. Joanni : « Tu inter apostolos vicinus mihi approxinasti, majoraque signa dilectionis expertus es præ aliis et amarior tibi passio Filii mei facta est, quam præ cœteris fratribus tuis longius vixisti, et quasi in ipsorum omnium martyr fuisti (planius legit

codex Pamesianus : *Et inter eos quasi martyr fuisti* ; ideo placuit Deo te vocare de mundo morte levissima post me, quia Virgo Virgini fuit commendata, ideo sicut quod petisti, et non prolongabitur. »

6º MARIA ACCEPIT QUOQUE SPIRITUM SANCTUM.

xvii

77

² *Et cum complerentur dies pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.* (Act. ii, 1). — Christiani numero 120, de quibus cap. praecep. a vers. 15 usque egit agitque Lucas. Ita S. Chrysostomus et S. Cyprianus, serm. *de Spiritu sancto* ; imo Joel, quem S. Petrus citat v. 17. Quare inepte et imperite Beza restringit ad solos apostolos hunc Spiritus sancti adventum ac ab eo excludit B. Virginem, ridetque pictores, qui eam pingunt in medio apostolorum, recipientem Spiritum sanctum.

Notat S. Augustinus, serm. 116 *de temp.* Spiritum sanctum a Christo promissum duodecim apostolis, datum vero numero decuplato ; decies enim duodecim faciunt centum viginti. En est fidelitas, imo liberalitas Christi, docens nos pauca promittere, sed decuplo plura praestare.

7º ORAT MARIA PRO STEPHANO.

xviii

2

Ejicientes eum extra civitatem eum lapidabant. (Act. viii. 57). — S. Stephanus lapidatus est in valle Josaphat, quæ inter montem Oliveti et Jerusalem interjacet, juxta torrentum Cedron ; quia juxta aquas magnas solet esse lapidum copia ; ubi etiamnum locus sanguine S. Stephani consecratus, magna veneracione colitur. Unde portam Jerusalem quæ ad hanc

vallem vergit et dicit, peregrini et christiani Hierosolymæ degentes vocant portam S. Stephani.

Id Lucianus in *Descriptione invocationis sancti Stephani* se accepisse ait ex revelatione Gamalielis. Idem tradit Beda, Borchardus, Ceverius, Ausingus, Adriachonius, Zwallardus et alii in *Descriptione terræ sanctæ* (et ex iis noster Villalpondo, tom. II in *Ezech.* part. I. lib. III. cap. vii. p. 161), e quibus addit noster Lorinus quod et peregrini asseverant ; idemque mihi Romæ asseveravit R. P. Melchior ob Helmont Antuerpiensis, Franciscanu, qui quater Hierosolymam est peregrinatus, ibique diu habitavit, qui et addidit signa et effigiem capitis et scapularum S. Stephani lapidi, dum expirans retrorsum caderet, impressa, etiamnum in eo ostendi, seque illa vidisse ; ibidem ostendi lapidem, in quo B. Virgo cum S. Joanne pro Stephano, toto lapidationis tempore preces fuderit.

Ergo S. Stephanus suam martyrii gloriam debet B. Virgini, æque ac S. Paulus suam conversionem, quam moriens pariter ei impetravit S. Stephanus.

Insuper, eodem in loco in quo lapidatus est S. Stephanus, Eudoxia Augusta ingentem basilicam ædificavit, uti testatur Evagrius, lib. I *Histor.* cap. XII, et Nicephorus lib. XIV, cap. LVI. Addit Beda, lib. *de Locis sanctis*, cap. III, quod christiani Hierosolymis religiose asservarent petram super quam Judæi lapidarunt S. Stephanum.

8º QUÆSTIONEM LEGALIUM RESOLVIT.

Respondit Jacobus, dicens : Viri fratres, audite me, etc. (Act. xv. 13 et seq.) — Rupertus, lib. I, in *Cant.*,

merito censem B. Virginem, quasi magistrum apostolorum, omnem hanc quæstionem definivisse, non quod ipsa concilio interfuerit (hoc enim feminam non debat), sed quod privatim consulta ab apostolis, prima sententiam hanc pronuntiarit.

BIBLIOTHECA CENTRALIS

XVII

MARLÆ VIRTUTES.

I. Ejus sanctitas.

1º EST SANCTITATIS OMNIS THESAURUS.

In plenitudine sanctorum detentio mea. (Eccli. xxiv, 16.) — Petrus Damianus, serm. *de Assumpt.*, sanctam sanctorum illam vocat; et Andreas Cretensis, *de Dormit. Virg.* : « O sancta, inquit, et sanctis sanctior, et omnis sanctitatis sanctissime thesaure. » Damascenus, orat. 2 *de Dorm.* : « Cernere, inquit, mihi videor hanc Sanctis sanctiorem, et sacris sacraziorem, piisque pietate præstantiorem, » etc. S. Bernardus, serm. *de Aqueductu*, ut probet magnam vim et efficacitatem præcum Virginis, citat illud : *Oratio justi penetrat cœlos*, et subdit : « Et quis justus si non Maria justa, de qua sol justitiae ortus est nobis ? »

IX
632
1

S. Bernardinus, tom. III, serm. ii, art. 3, cap. i : « Sicut, inquit, filius Mariæ est sanctus sanctorum ; ita constat quod mater, quæ ipsum portavit, est sancta sanctorum, in qua erat ille pretiosus thesaurus, tabernaculum Dei, thronus Dei atque thalamus Dei. Ubi ergo est summa plenitudo sanctitatis humanæ et angelicæ, ibi semper Virgo Dei mater prima suæ sanctitatis jecit fundamenta, ibi detinuit gradum, et plantam fixit virgineam. »

Denique noster Sebastianus Barradius, in *Cant. Mosis*, lib. III, sect. 8, annota. 16, num. 243 : « B. Virginis